

metuet, quod contrarium sit saluti. Et sicut saepe videmus in his qui insaniunt, cum semel perdiderint sanitatis statum, nihil iam ultra metuunt, nihil erubescunt, sed licenter omnia et dicere audent et facere. Etiamsi in ignem  
70 proruant, non declinant, etiamsi in praecipitium aut profundum, non revocant pedem. Ita et qui desperatione capti sunt, intolerabiles fiunt, per omnes malitiae vias discurrunt. Pudor nihil prohibet, metus nihil impedit, praesentia non vetant, futura non terrent, sola mors est  
75 quam evadere non possunt. Propter quod, deprecor, priusquam vehementius inebrieris mali huius veneno, exsurge, quaeso te, et expergiscere aliquando et diabolicam hanc depone temulentiam. Quod si ad subitum non potes, paulatim certe et sensim recollige animos tuos,  
80 quamvis, ut mihi videtur, facilius sit omnia simul abrumpere et mali huius retinacula pariter cuncta resecare atque ex integro ad exercitia converti paenitentiae. Si autem tibi hoc difficile videtur, ut vis, ut potes; tantum sume initium aliquod melioris viae et aeternae vitae desiderium cape. Itaque quaeso te et obsecro, et per illa merita  
85 quae prius quaesieras, exoro, ac per illam libertatem quam prius gerebas obtestor, sic te iterum in illo cernam virtutum vertice consistentem et illo rursus patientiae robore solidatum. Parce mihi amanti te, parce omnibus  
90 qui pro te scandalizantur et pro tuo lapsu labuntur, parce cunctis qui pro tua desperatione desperant, nec putant se posse viam virtutis incedere, si te ad eam redisse non videant. Respice, quaeso te, quantus nunc maeror omnem sanctorum fratrum habeat chorum et quanta laetitia